ORATIO PRO. SOLEMNI. STUDIORUM INSTAURATIONE MEDIOLANI...

Paolo Onofrio Branda



TYPOGRAPHUS LECTORI S.

ORationem, quam habes, amice Lector, curæ, ac diligentiæ nobilis viri Jani Silvæ, Patricii Laudensis acceptam referre debes; qui caute ab auctoris manibus educendam, ac typis committendam curavit: ne testimonium hujusmodi de Josephi Antonii Saxii celebritate, sane pulcherrimum, atque honestissimum, Mediolanensis scilicet omnium scientiarum Universitatis florentissimæ, atque unius Ordinis Religiosi in Patria sua spectatissimi, silentio prætermissum intercideret; atque adeo ut multorum desiderio fieret satis, qui id optarent, postularentque. Hujus orationis primum legendæ, (quo nomine exemplum impetratum est) tum evulgandæ nunc Equiti litteratissimo, atque auctoris amico incessit acrior cupido, quod hoc

Saxii laudis monumentum ne commemoratum quidem invenerit in ejusdem Viri immortalis vita nuper edita, & præclarissimo de Mediolanensibus Archiepiscopis Operi ipsius Saxii posthumo præfixa. Verum ne te ego teneam pluribus; plenius omnia cognosces ex Auctoris Epistola, quam cum Oratione accepit Silva, ac simul edendam ad me misit. Hæc enim videtur ad rem proxime pertinere: ex hac etiam plane intelliges, quæ antecesserunt, epistolas, & quam amica contentione fuerit opus, ut Orationem legendam obtineret; qui nihil dubitat illam evulgare, fretus amicitia, quæ fuit auctori cum Saxio & intima, & suavissima, qua ejusdem Saxii prædicationis caussa non poterit ægre ferre animum suum illi Viro deditissimum per alium hoc testimonio declarari, quod alioquin perpetuo delituisset. Tu consilium hujusmodi æqui bonique fac, & vale.

JANO SILVÆ
EQUITI ORNATISSIMO
PAULUS ONUPHRIUS BRANDA
S. P. D.

NOn eſt cur me ſtimules gravibus adeo ſententiis, ne dicam aculeis, ad Orationem tibi mittendam, quam ſemel & fruſtra quereris poſtulaſſe. Jam obtempero voluntati tuæ: neque ſinam progredi longius hanc tuam iracundiam. Quamquam quid poteſt eſſe mihi dulcius, quid amabilius tam urbanis pleniſque amoris ſuaviſſimi objurgationibus tuis. Subiraſceris mihi quod te cruciem expectatione? Quid, ſi me juvat exſpectatio tua? Hæc certe quum acuat appetitionem, poterit etiam inſulſæ rei guſtum adferre. Noli enim putare, difficile induci me ad quidquam hujuſmodi Amicis rogantibus communicandum, quod ægre patiar

ex nimia indulgentia, atque teneritudine ingenii mei fœtus a me distrahi, atque divelli. Illud potius me retinet, probibetque, quod timeo ne fallam amicorum benevolentiam, & expectationem. Cur autem tibi modo non statim indulgerem, id etiam caussæ accedebat, quod haberem pro certo, quæ cuperes cognoscere, te frustra requirere ex Oratione mea; præsto autem tibi esse, imo præ manibus, unde huic tuæ cupiditati satisfaceres cumulatissime. Jam vero quoniam, illud ipsum, quod putabam tibi fore ad explendum desiderium tuum accommodatissimum, video facem ad flagitandum admovere; nihil moror amplius. Quin ut citius rem expediam, unum solum, quod est apud me, Orationis exemplar, protritum, ut vides, ac prope discissum, ad te mitto. Non enim dissimulabo Saxii nomine scriptum illud adeo commendatum fuisse, ut nonnulli, qui erant arctius viro præstantissimo obstricti, exscribendum curaverint. Inter quos non defuere, qui apud me contenderent, ut hanc sinerem Orationem typis evulgari. Neque recusassem profecto, si quemadmodum gratissimum mihi fuisset hoc postremum amoris, & æstimationis officium litteris mandare, atque in omnem transmittere posteritatem; ita quidquam in Oratione deprehendissem vel publica dignum luce, vel par Saxii nostri laudibus, atque promeritis. Sed non ita sum insanus, ac tam cæcus, ut non videam quam mibi

ju-

105

jure timendum esset, ne temeritatis notam, aut certe levitatis incurrerem, si hæc tam inepta sinerem in lucem emanare. Tibi tamen semel atque nunc iterum privatim flagitanti qui possum negare id, quod aliis concessi? quod etiamsi aliis negassem, tibi non possem. Tecum res agitur. Quid autem mihi timendum abs te? Temere ne factum incusabis, quod ipse imperas ut faciam? Levitatem qui poteris ei obiicere, qui amico studet indulgere? Næ tu leviculus, qui nimium credis sive communibus utriusque amicis, sive potius amori tuo, & de me tibi pollicenti, quæ præstare non possum. Verum quid plura? habes Orationem: lege si lubet: si nequis integram, parce molestiæ, atque ad alia refer animum. Tu prædicas, & amplificas hoc officii nostri, & grati animi testimonium, quod singulari ejus viri in ordinem nostrum benevolentiæ rependendum existimavimus: tu rem nimis acute pervestigas, ac nimis diligenter evolvis. Unde fit ut præclarum censeas illud fuisse de Saxii laudibus, ejusque promeritis monumentum; neque putes aut prætereundum, aut negligendum fuisse, quod non ita privatum extiterit, ut publicum eidem quoddam decus ex illustrioribus hujus civitatis ordinibus, qui magna frequentia ad audiendum convenere, atque ex nostra scientiarum Universitate, cujus nomine persolvebatur officium illud; ac demum ex universa Congregatione nostra (quantulacun-

 que

que sit) cujus vel voce, vel certe incredibili consensione memoria tam egregie de se meriti, atque omni prædicatione dignissimi viri colebatur, accessisse non videatur. Verum, pace dixerim tua, hæc tu officia nostra, tot nominibus debita, pro humanitate tua, pluris æstimas, quam mereantur. Quare desine jam mirari, nullam hujusce rei mentionem invenisse in vita clarissimi viri a litteratissimo Balthassare Oltrocchio summo studio elucubrata. Quanti enim hæc facies, si velis comparare cum honoribus amplissimis, quibus eum prosecutos esse viros tum dignitate, tum sapientia principes refert ejus vitæ scriptor eruditissimus? Quod si hæc nostra putas aliquid esse, ac plusculum amori nostro largiris, quam ferat meritum, ac ratio concedat; blandiemur etiam, ut lubet, amori tuo; ac te certiorem faciemus, neminem hac nostra ætate decessisse, cujus tot ac tanta prodierint apud nos laudum, & sapientiæ testimonia, & nostri desiderii vestigia fuerint relicta, quot, & quanta de Saxio licet recognoscere. Cave enim credas animi nostri significationem cum ipsa Oratione aures ita prætervectam esse, ut nihil præterea ad memoriæ immortalitatem a nobis quæsitum fuerit. Omnia in hujus nostri Collegii acta ad XIX. Kal. Januarii anni MDCCLI. quo die Oratio habita est, fuerunt statim relata. Quæ ut toti Congregationi clarius paterent; quum per leges nostras con-

constitutum sit, ut quolibet triennio, quæ sunt in singulis Collegiis gesta præclarius, hæc summa fide ex actis decerpta, & in breve commentarium digesta ad Generalia Ordinis Comitia perscribantur, ut in omnium conspectu legantur; id minime duximus reticendum. Ac ne te nova cupiditate hæc recognoscendi incensum relinquam, antequam tu perquiras, scribam ego, quæ in relatione continebantur. Ita se habet.

Hoc igitur ineunte anno Scholastico, qui hoc munere (Orationis habendæ in publica studiorum instauratione) *perfunctus est, „ nullam ingenuæ juventuti patere viam certiorem ad bene de Patria merendum cultu scientiarum, sibi ostendendum proposuit: idque argumenti delegit, quod commode traduci posset in laudem Josephi Antonii Saxii, Sacerdotis ex Oblatorum Cœtu eo ipso anno desiderati, Viri non minus præclaris, & immortalibus ingenii sui monumentis, quam modestia, pietate, religione, ac omni virtutum laude apud omnes spectatissimi. Is per annos XL. Ambrosianæ Bibliothecæ Præfectus fuit: sed quum privatam domum haberet sub Parochi nostri jurisdictione, adeo semper fuit erga nos propensa voluntate, tantaque benevolentia, quoad vixit, Ordinem nostrum est prosecutus, ut voce, litterisque, ac supremo etiam spiritu præclarissima amoris, ac honoris edere de Congregatione nostra testimonia*

nun-


„ *nunquam destiterit. Auctor ipse fuit, ut qui*
„ *ad perficiendum integrum, & absolutissimum*
„ *Historiæ Ecclesiasticæ corpus ab orbe condi-*
„ *to ad postrema tempora, alium edere Scrip-*
„ *torem cogitabat typis eisdem, quibus Lucæ*
„ *prodierat Baronius cum Pagio, qui alter*
„ *Scriptor Sacram complecteretur historiam a*
„ *Mundi exordio ad Christum natum, mentem*
„ *converteret ad nostrum Torniellum, notisque*
„ *illustratum P. D. Augustini de Nigris in*
„ *lucem emittendum curaret. Idem pro ea au-*
„ *ctoritate, quam in Ambrosiana Bibliotheca*
„ *obtinebat, sæpe proposuerat, atque contende-*
„ *rat, post edita S. Caroli Borromei Opera,*
„ *alterius Caroli, nostri scilicet a Basilica Pe-*
„ *tri, colligenda omnia, & evulganda esse*
„ *scripta, utpote ejus, quem doctissimum præ-*
„ *dicabat, & omni eruditione præstantissimum.*
„ *Sed optimum consilium mors abrupit impor-*
„ *tuna. Ne penitus tamen interiret apud nos*
„ *Viri omnium consensu hac ætate litteratissimi,*
„ *nobisque amicissimi memoria; ac simul ut*
„ *ejus tam amanti erga Ordinem nostrum vo-*
„ *luntati, grati animi officium aliquod repen-*
„ *deremus, ipsum in hac Oratione fuse, at*
„ *non satis pro merito laudavimus coram fre-*
„ *quentissimo Equitum, ac Patrum ex omni*
„ *Ordine consessu; amicos, & parentes priva-*
„ *tim invitante nobilissimo Equite Octavio Ca-*
„ *stilioneo Senatoris Filio. Pergratum id fuit*

Sa-


„ *Sacerdotibus ejus Congregationis. Itaque Præ-*
„ *positus Sancti Sepulchri, atque ideo Cœtus*
„ *universi, & Moderator Scholarum Doctrinæ*
„ *Christianæ ad nostrum Collegium postridie se*
„ *contulerunt, plurimum se nobis obstrictos of-*
„ *ficiosissime testantes, quod unum ex ipsorum*
„ *Congregatione publice laudaverimus, totum-*
„ *que ipsorum Ordinem honorifice appellaveri-*
„ *mus. Id vero tum rogabant, ac postmodum*
„ *contenderunt, ut memoriæ caussa sibi liceret*
„ *Orationem exscribere, ac suo in tabulario as-*
„ *servare, quod, annuente Collegii nostri Præ-*
„ *posito, adsecuti sunt.* „

Vide quanti nostra interesse putabamus memoriam colere tanti viri. Ne tamen putes animum nostrum Saxio omnibus officiis devinctissimum Balthassari Oltrocchio ejusdem religiosissimæ, & doctissimæ Congregationis Oblatorum SS. Ambrosii, & Caroli Sacerdoti, Litteris, & humanitate in illa ipsa Æde Ambrosianæ Bibliothecæ florentissimo, perspectum minime fuisse. Quod enim per clarissimum hunc Virum ad posteritatis memoriam desiderare honestius monumentum hujus nostræ necessitudinis poteramus, quam quod litteris mandavit in suo Apologetico *Sermone IV. pag. LVI.? Ibi, ut ejus referam verba, exemplum profert hujus viri, nimirum:* Del Signor Dottor Giuseppe Antonio Saſſi di chiara memoria ſoggetto tanto amato da' Padri della Congregazione di San Pao-

Paolo. *Quid vis amplius? Illam ipsam Orationem benignissime excepit vir iste pereruditus, ac tam perspicua lætitiæ, & voluptatis significatione id mihi muneris gratulatus est, ut se prope hoc officio devinctum teneri per summam humanitatem profiteretur; ut propterea, si quid fructus ex re tam exigua, tam debita mihi referendum proposuissem, plus mihi viderer consecutus, quam umquam sperare ausus fuissem. Quod si postea locum in Saxii vita idoneum non invenit hujusce rei commemorationi; seu alia de caussa prætermittendum id esse censuit, quis ei succenseat, qui nemini fecit injuriam? Sed jam tu forte succensebis mihi, quod tam liberaliter suppleam Orationis dilationem. Disce non tam acriter instare, atque urgere ad scribendum. Et quoniam tam es sollicitus Orationis meæ; si quid in ea de Saxii erga nos benevolentia prætermissum erit, commentarii loco poterit esse hæc Epistola. Vale. Mediol. XI. Kal. Sept. MDCCLV.*



AB



AB ea dicendi ratione, quam in his ſtudiorum inſtaurationibus initio ſuſcepi, ac præ ceteris tum ſolemni huic inſtituto, tum ingenio meo accommodatam ſemper duxi, ut nihil in hunc locum adferrem, quod vel in primis ad probam diſcipulorum inſtitutionem, feliceſque ipſorum in bonis artibus progreſſiones conducere non judicarem, numquam diſcedere, aut declinare, & mihi jamdiu certum eſt, & hodierna etiam luce deliberatum, Cives nobiliſſimi, Patres ampliſſimi, ceterique Auditores ornatiſſimi. Quamquam enim non ignoro, anguſtos nimium hoſce fines videri nonnullis poſſe, qui hac potiſſimum ætate litteris fauſtiſſima ſolent in hujuſmodi conventibus ampliora quædam, & ſummo ſtudio conquiſita atque elaborata exſpectare; me tamen hoc aditu laudis, & litteratiſſimorum hominum æmulatione, non modo prohibet tenuitas mea, verum etiam ut libenter abſtineam, efficit amor erga eos adoleſentes ſingularis, qui litteris informandi nobis traditi fuerunt. Quo etiam ſpero, nonnihil eam voluptatem me vobis compenſaturum, quam ex præſtanti cujuſvis eruditione, & per-

& perpolito, perfectoque dicendi genere perciperetis; quum habeam pro certo, vobis etiam gravissimis quidem Auditoribus, at non minus Patriæ, quam optimarum artium amantissimis, id ipsum probatum iri, quod in bonam hujus spem Civitatis florescentibus Alumnis, quorum beneficio & hæc primum publica erigenda Gymnasia, & quotannis huiusmodi in cœtu aperienda curarunt, aliqua ratione profuturum intelligetis. Neque vero putabit quispiam, me id minus hodierno die præstiturum, quod paulo latius in laudem, fructumque litterarum sim verba traducturus. Id enim ut persequar, movent me, atque impellunt & grati animi officium: & acerba quidem, sed numquam non præsens mihi recordatio non multis ante mensibus desiderati præclarissimi hujus nostræ Civitatis luminis: & singularia Civis omnium litterarum, et virtutum gloria per orbem universum celeberrimi, in hanc Patriam promerita: cujus memoria hæret adeo firma in omnium vestrum animis, Auditores, ut quin ipse illum appellem, in unum omnes mentem, cogitationemque intendatis: Unde etiam licebit mihi nomen ipsum nunc quidem reticere; ne vel præter hujus loci, et temporis consuetudinem videar ejus laudes velle dicendo complecti; vel in ipso exordio, ejus nomine commemorato, plus mœror, & tanti viri desiderium possit ad animos

mos

mos infringendos, quam tantæ sapientiæ & virtutis recordatio ad nostros adolescentes in omne veræ laudis, & scientiæ studium inflammandos. Verum qui simul potero non esse huic ingenuæ Juventuti præclaro ad cultum litterarum incitamento, si modum hinc Orationis meæ constituam, atque hanc unam scientiarum viam, ad bene de Patria merendum, his nostris adolescentibus certiorem patere, hanc ipsis ineundam, atque insistendam esse declarem. Dabitis itaque, Patres Amplissimi, ut eorum gratia discipulorum, quorum eruditionis summa vobiscum cura nobis esse debet, prius ostendam quantum decoris, et emolumenti Civibus & Patriæ ex Civium accedat doctrina, sapientiaque; tum etiam officii caussa id ipsum unius memoria, & exemplo confirmem, quod mihi quidem erit semper memorandum; his vero adolescentibus ad imitandum præclarissimum.

Si quantum splendoris, & commodi ex Civium doctrina, & eruditione in Patriam proficiscatur, satis esset iis adolescentibus persuasum, qui studiis litterarum sunt addicti; nihil dubito, quo minus hæc una cogitatio magnam vim eorum animis adhiberet, stimulosque incredibiles ad optimas artes impense excolendas adjungeret amor ille, quo se omnes Patriæ, tamquam omnium parenti devinctos sentiunt, & quo illi se plus de-

bere

bere intelligunt, qui & liberalius sunt educati, & animo sunt ad laudem, & virtutem magis propensi. Quum enim natura ipsa communi ei solo, ex quo parentes, ortum, & commoda omnia duximus, ita nos conciliet, ut plurium caritates Patria una complecti videatur, mirum non est, tam insitum, tam præsentem cuique nostrum, ac perpetuum esse illius amorem, ut neque ab ejus sinu longe distracti, neque ex industria, quo quisque loco natus sit, ubi sermo, vel caussa inciderit, dissimulare valeamus. Itaque & monstrum incredibile censemus, aliquem exstare in nobili potissimum, & præclara Civitate progenitum, qui vel nihil ejus periculis, & calamitatibus moveatur, vel omni posthabita caritate, gravius quidpiam in eamdem moliatur; & illam vocem non modo barbaram, & inhumanam, verum etiam sceleratam arbitramur eorum, qui sua nihil dicunt interesse, si vel ipsis salvis, atque florentibus tota labatur, & intereat respublica, vel ipsis mortuis terrarum omnium deflagratio consequatur. Quis enim contra probus, quis vestrum adolescentes, non fatebitur, non sibi tantum esse generatum, sed ortus sui, vitæque partem non minimam Patriæ debere, atque optimum quemque, & honesto loco natum omnia quæ gerit, non modo ad propriam utilitatem, verum etiam ad suorum beneficium, ac Patriæ decus, & salutem con-

fer-

ferre oportere? An quidquam potest esse ex omnibus rebus humanis præclarius, quam de Republica bene mereri? An quidquam vobis optabilius, quam ut magnam nominis vestri famam, ex maximis in Patriam collatis meritis propagatam, posteris relinquatis?

Ponite nunc vestros ante oculos, adolescentes ingenui, quænam vel magis splendida ornamenta, vel magis salutaria præsidia possint Patriæ per Cives suos obvenire, quæ vel possint aliunde, quam ex litteris comparari; vel si ulla ratione possint etiam alia ex origine profluere, non multo tamen constantiora, & illustriora ex hoc scientiarum fonte permanent. Nolite, Auditores, cogitare, ita me rem agere per contentionem velle, ut quam præstent rebus ceteris bonarum artium emolumenta, sim vobis declaraturus: prope infinitum id esset, ac minime necessarium. Quis enim non videt, quam cetera sive ad gloriæ famam, sive ad civium salutem, incolumitatemque procurandam incerta sint, fallacia caduca; quam vero firma, quam solida, quam diuturna, quæ sunt præstantium virorum doctrinæ commendata? Atque ne longe ab hac nostrum perantiqua, florentissimaque urbe discedamus; nonne tamdiu summam ipsa laudem, celebritatemque adsecuta est, quamdiu cultæ in ea fuerunt, ac summo in honore habitæ optimarum artium dis-

ciplinæ? Adeo ſemper nexa, & copulata fuit Civium noſtrorum Doctrina cum ipſius Civitatis gloria; ut eodem prope fato, vel utraque langueſceret, deficeret, reſtingueretur; vel utraque vigeret, ſplendeſceret, dominaretur. Qua de re quid ego evolvam antiquiora hujus Patriæ monumenta, quibus conſtat tantam gloriæ famam apud ipſos terrarum dominos, Romanos Imperatores adeptam fuiſſe, ut ſumma liberalitate aucta ab iis fuerit, ac publicis ædificiis decorata? Tum ita colebantur hic ſcientiæ, ut nuſquam magis; tum tantus hic honos bonis artibus habebatur, ut novarum Athenarum appellatione ab Hadriano, & Antonino publico munere, perennique monumento fuerit honeſtata. (1)

Jacuit quidem (atque utinam non ita diu) hujus gloria Civitatis, & celebritas, & dignitas omnis infeſtiſſimis tenebris obruta, cæcaque oblivione prope deleta: ſed quis recordari hanc Patriæ calamitatem poteſt, quin ſimul miſerrimum litterarum excidium commemoret? Quamdiu armis ita fuit cum hoſti-

(1) IMP. CAESAR. T. AELIVS. HADRIANVS
ANTONINVS. AVG. PIVS. CONS. III.
TRIB. POT. P. P.
AQVAEDVCTVM. IN. NOVIS. ATHENIS
COEPTVM. A. DIVO HADRIANO
PATRE. SVO. CONSVMMAVIT
DEDICAVITQVE.
Lapis diu in Ambroſ. Baſilica abditus a Petro Appiano, Gruterio, Cellario, Cluerio &c. vulgatus.

ſtibus huic urbi decertandum, ut litterarum præſidia, & bonarum artium firmamenta retinere, ac tueri potuerit; in incerto quidem, & ancipiti bellorum exitu varia, ac ſæpe etiam acerba fortuna ipſi fuit ſubeunda: verum ſive propitio, ſive adverſo Marte, ſive militiæ, ſive domi, dici vix poteſt, quantum ex præclaris facultatibus, atque ex viris doctrina præſtantibus habuerit perfugii, & adjumenti, ſive ad ornanda præclare facta, eorumque laudem, & gloriam in omnem poſteritatem litteris tranſmittendam; ſive ad fortiter agendum, vireſque confirmandas, atque ad omnem ignominiam in rebus afflictis, proſtratiſque depellendam. Ubi vero ea barbarorum illuvies, peſtiſque teterrima in Italiæ viſceribus cœpit inſidere, qui civium vita, ſanguine, fortunis minime contenti, vel ſe parum adeptos crederent; vel in ſuo ſe parum latrocinio, ſuaque tyrannide tutos arbitrarentur, niſi poſtquam cetera diripuiſſent, ab antiqua etiam, ac nobiliſſima ſcientiarum poſſeſſione nos deturbarent; quo ducta res eſt, Auditores? Quid Gothis imperantibus paſſa eſt univerſa Italia? Quid hæc Provincia, quid hæc urbs præclariſſima, ſub Theodato, ſub Vitige, ſub aliis, quæ ſubſecuta ſunt, ejuſdem feritatis monſtris ſæviſſimæ cladis pertulit, ac turpiſſimæ infamiæ? Quam inhumanis legibus, quam nefariis decretis ſibi ſtudia

litterarum sensit interdicta? Eodem vero ictu, eadem vi, furiis eisdem ut vidit ex finibus suis proscriptam omnem doctrinam, omnemque simul veterem, & claram sui gloriam ademptam, atque extinctam deploravit? Quamquam erepto scientiarum lumine ne oculos quidem relictos illi fuisse putandum est, vel ad satis perspiciendum sui exitium, vel ad satis deflendam susceptam ignominiam. (2) Sed quorsum hæc ipse commemoro? Ut postquam adolescentes isti cognoverint, quantum ex litteris consecuta est hæc nostrum civitas veri splendoris; & quam contra miserum ipsi fuit scientiarum decore, usuque spoliari; intelligant, atque constituant, quam egregie consulant Patriæ, qui suam in litteris traducunt ætatem; quam sint infensi, qui a bonis artibus abhorrent.

Non enim existimare debetis ex optimarum artium disciplinis eam tantum civitatibus gloriam celebritatemque comparari, quæ pervagato quodam rumore apud exteras nationes peregrinatur. Licet enim optimo cuique civi debeat cordi esse, & honesta, & præclara videri hæc de Patriæ dignitate traducta latius opinio; tamen neque illa gloria radices agere po-

(2) Notissima in Patriæ Annalibus. Vide & Procopium, & ceteros, qui de rebus, & regno Goth. Langobardorum &c. scripsere. Habes etiam fusam & accuratam hujus caliginis litterarum cladisque seriem apud J. A. Saxium in Opere de Studiis &c. Mediolanensium cap. VI. pag. 77.

poteſt, niſi ex civium præſtantia, & virtute proficiſcatur, ac niſi virtutem ipſam, & præclare facta, velut imago quædam illuſtris, repræſentet; neque profecto, quæ profluunt ex cultu ſcientiarum decora Civitatum fere poſſunt ab excellenti virtute eſſe disjuncta, atque ab ipſarum ſalute, & dignitate ſegregata. Verum hæc, quæ ſunt in litterarum laude præcipua, quantum ipſæ nimirum ad beatam vitam, & Patriæ commodum adferant momenti, qui poſſum perſequi dicendo, quin hujus modum Orationis prætercam? Id unum ſupereſt, Auditores, ut in re tam perſpicua illud præſtem, quod in ſimillima probaretis omnes. Quid enim ſi aperto in meridie ſolem collucere ut oſtenderem, cauſſa poſtularet? Quid expeditius, vobis etiam auctoribus, agere poſſem, quam ſi omnium oculos in nitidiſſimum Planetam, ejuſque radios circumquaque diffuſos converterem? Intelligitis, adoleſcentes, quo vos oratio vocet, circumſpicite quotquot hic ſedent doctrina præſtantes viri: in mentem revocate quotquot veſtrum memoria ex omni ordine magnarum artium floruere diſciplinis. Quid in eorum vita non laudabile, non illuſtri virtute commendatum reperietis? An otium turpe, an mollis vita & effeminata aliquid iis poteſt inquinamenti ad eorum animum labefactandum adferre, qui ut litteras colant, aſſiduis

laboribus vitam exercent? Quæ porro intemperantes cupiditates eorum animum incendere, ac depravare possunt, qui nihil in rebus humanis cupiunt ardentius, quam scientiis mentem locupletare? qui in tam liberali optimarum artium exercitatione, quantum aliis voluptatibus alii, tantum ipsi temporis, operæque insumunt? Sed quo ipse abripior? Vos adolescentes, quemadmodum cœpistis, hanc intueminor adeo claram sapientum virorum lucem, quæ vestrum oculos ad se revolvit. Quærite hinc Patriæ salutis & incolumitatis, quærite civium securitatis præsidia, & firmamenta: quam enim hæc solida, & ampla ex doctis, litteratisque vestrum civibus prodire comperietis? An jus, & æquitatem poscitis? Quemadmodum *homine imperito numquam quidquam injustius*; (3) ita plane videtis nihil in civitate legum scientia, & juris peritia ad suum cuique tribuendum, ad propulsandas injurias, ad scelera comprimenda magis conferre. Non enim scientia, ut quidam autumant, sed juris potius ignoratio, ut docti sentiunt, (4) est litigiosa. Hujus autem Patriæ jura, & leges sanctissimæ, quam lætantur vel unius ipsarum Custodis integerrimi-

(3) Terent. in Adel. a. 1. s. 2.

(4) Opus egregium indicatur cui titulus-Comitis Gabrielis Verri &c. de Ortu, & Progressu Juris Mediolanensis Prodromus, seu apparatus ad Historiam Juris Mediolanensis Antiqui & Novi.

mi, Civis nobilissimi, Senatoris amplissimi eruditione, & litteris jam esse ad eam lucem revocatas, ac brevi ad eum honoris apicem perventuras, ut nihil amplius cuiquam ex principibus orbis universi provinciis invidere possint?

Jam vero (ne singula enumeremus) si ad pietatem, & religionem confugitis, atque hinc cetera duci oportere censetis; sapienter quidem judicatis. Verum ad sacra ipsa, & divina colenda instituta, quantum conducere præstantium virorum scientiam perspicitis? Plures enim etiam sine doctrina excellenti quodam naturæ habitu, ac divino præsertim afflatu, & munere, pie sancteque vivere in civitate non inficiamur; at nisi plures ibidem inveniantur, qui ceteros doceant, atque cohortentur, qui a perversis opinionibus, erroribusque impiorum fraude identidem erumpentibus, Christianam disciplinam, ac religionem ipsam defendant; an multos arbitramini pietatis cultores, legumque divinarum custodes, atque patronos extituros? Quam vero omnia vigeant, atque florescant religionis exempla, ubi excellentes rerum divinarum scientia doctores, sacrique affluant oratores, quis non videt, ne aliena proferamus, in hac nostrum Patria? Quis non videt omnia ad Remp. commoda venire, quum moderatrix omnium rerum præsto est sapientia? Ipsos autem sapientes, per quos hæc

in Patriam bona conferuntur, quam de ipſa putabimus benemereri? Quid de iis cenſebimus, qui non tantum voce privatiſque ſtudiis hæc alunt Patriæ, civiumque commoda, atque omni contentione, dum vivunt, ſtudent amplificare; verum etiam poſt mortem litterarum monumentis, ut propria, ac perpetua ſint, efficiunt? Poterit ne eorum memoria in non ingrata civitate, in populo non agreſti, & fero vel extingui, vel non celebrari in dies magis?

Eo me delatum ſentio, Auditores, quo jam antea grati animi officium vocabat. Serius me huc recepiſſe, quam oporteret, forte redarguetis. Sed date hanc veniam, quam ut orem, non mea voluntas facit, ſed ipſa natura, & animi quædam vel commotio, vel infractio, quæ non ſinit, ut pluribus perſequar, quæ non poſſum ſine dolore commemorare. Eſt mihi, eritque ſemper jucunda tanti viri recordatio; ſed quum ad levandam jacturæ acerbitatem ſuccurrit, non poteſt non renovare deſiderium, & luctum. Illum tamen appellare debeo, nec invitus appello, quamvis cum acerbo animi ſenſu, Joſephum Antonium Saxium: & quoniam diutius frui ejus conſuetudine, humanitate, ſapientia, virtute non licet; ejuſdem benevolentiam, ac toties voce litteriſque teſtificatam ſingularem animi ui erga Ordinem meum, tametſi minime cum

cete-

ceteris comparandum, & antiquam propensionem, & sinceram honoris significationem omnibus prædicabo. Erunt forte, qui id potius laudis cupiditati tribuant, quam studio referendæ gratiæ. At ipsi, posteaquam confessi fuerimus, non posse honoris eximii loco non habere tam excellentis viri gratiam, & amorem; non recusabimus quo minus in aliquorum reprehensionem incurramus; dum ei, etsi meritis numquam par, pro nostro tamen studio debitum officium rependamus, ejusque memoriam, quibus per nos licet, monumentis consecremus, immortalemque reddamus. Quæ quum præstosint, quid uberius ad incendendos adolescentes nostros amore litterarum possum adferre? Quid splendidius, & gloriosius ad imitandum exemplum hujus Patriæ Alumnis possum proponere? Quæ enim extat regio, quæ ora tam longinqua, ubi ullo in pretio sint litteræ, quo hujus viri nomen, & doctrina singularis, & per hunc Civem, vel potius orbis universi lumen clarissimum celebritas hujus urbis non pervaserit?

Gaude itaque, summis ingeniis, optimis studiis, doctrina, religione, omni virtutum laude semper florentissima, atque spectatissima Sanctorum Ambrosii, & Caroli Congregatio, gaude hoc tuo præstantissimo Alumno; ac tu, quæ patrio in solo enata, tuo semper digna incomparabili auctore crevisti, atque

que ingenuæ hujus civitatis, exterarumque gentium juventuti signum prope effers præclarissimum, quo etiam intendant assidue ceteri adolescentes, qui artibus egregiis dant operam, qui studenc sacris ministeriis dignos adolescere, se ipsos vera laude honestare, aliis prodesse, de Patria benemereri, gaude hoc recenti, & immortali tuo lumine, gaude hac præstantissima tua gloria. Sed pro tua æquitate minime obstabis, quo minus virum eumdem, quem tibi perpetuo, & jure vindicabis, qui vere tuus est, huic etiam Patriæ, in qua natus est, quamque tot egregiis monumentis ornavit; atque orbi universo, in quem tantam sapientiæ, ac virtutum omnium lucem effudit, adscribam. Imo lætaberis etiam magis eum virum protulisse, cujus tanta & celebritas, & dignitas, & laus, & præstantia extitit litterarum, ut vel ipse unus potuerit, & Patriam mirifice illustrare, & fama virtutis suæ, atque doctrinæ implere orbem terrarum. Quo enim munere fuit ille donatus, quod suis studiis, atque laboribus ad summum dignitatis gradum non evexerit? Quam ipse ætatem non egit in cultu, & amplificatione scientiarum, ac non impendit, vel in Patriæ decus, vel in publicum emolumentum? Ut omittam cetera, quæ honestare per se virum possent; sacram illam scientiarum ædem, altricem præstantium sapientia virorum, appello

pello, Ambrosianam Bibliothecam, cui per annos quadraginta ita præfectus is fuit; ut non minus augendæ tam pretiosæ, copiosæque librorum supellectili; quam sibi ex tot opibus litterarum omni comparandæ eruditioni, præclarisque edendis ingenii sui monumentis, quibus omnes decorarentur Bibliothecæ, totum illud tempus transmitteret; ut nemo non penitus expers litterarum eo cognitionis caussa accederet, qui Saxium videre, & alloqui non duceret vel in primis expetendum; ut ejus fama permotus vel ipse Joannes (5) Lusitaniæ Rex potentissimus, & conquirendis ex orbe universo rerum omnium admirabilium monumentis deditissimus ejusdem Bibliothecæ descriptionem per hunc sibi virum perficiendam curaverit; ac brevi absolutissimam, accuratissimamque acceperit. Privatam ejus domum appello, antiquæ moderationis, & sanctimoniæ hospitium, sedem jucundam, atque tranquillam bonarum artium, Gymnasium celeberrimum non adolescentum dicam, sed virorum dignitate præstantium, qui Saxium magistrum colebant, observabant, audiebant tam dilucide, tam erudite, tam castigate de Ecclesiastica Historia vel dictantem, vel differentem, ut nemo ipsorum non incensum tam præclaræ eruditionis studio, non ornatus pulcherrimis, exquisitisque cognitioni-

(5) Edita est in Tomo IV. descriptionis Med. &c. anno 1738.

nibus ab eo umquam discederet. O sæcula illa perbeata, (6) quæ hac ratione, in illis conventibus, in tam eximia domestici recessus Academia, a tam excellenti viro illustrata fuerunt! Quam gestiunt in publicam lucem erumpere, atque omnibus palam facere, quantum sibi splendoris ex hujus Viri lucubrationibus accesserit? Quamquam hæc ita sunt hactenus recondita, ut minime jaceant penitus sepulta; quum jamdiu ferantur per ora, & manus multorum; quum illud effecerint, ut hoc studium adeo Civibus nostris probaretur, ut videat hæc nostrum Patria plurimos ex suo sinu eidem addictissimos, atque in hoc genere eruditionis versatissimos; ita vero, ut illum vel unum, vel sane principem ad hæc suscipienda, colendaque studia, & magistrum, & auctorem extitisse fateatur, & glorietur.

Verum itane desipiam, ut, quæ in scriptis delitescunt, velim referre; quum ea ipsa, quæ sunt evulgata, non possim omnia percensere? Mihi enim licet invito ab ejus Viri laudibus temperandum est, ac pro tempore vix quidpiam delibandum, quod orationem ad vos revocet, adolescentes, quod ipsam ad exitum citius perducat. Quid igitur tot

(6) Sex priora Eccles. sæcula hac ratione digesta, & illustrata, adjectis omnibus etiam profanæ Historiæ luminibus, criticisque animadversionibus, inter plurima hujus Viri MS. asservantur, apud ejus Bibliothecæ Heredem V. Filium Fratris &c.

116

tot inter ejus ingenii, ſtudiique immortalia monumenta invenire poteſtis, quod ad ſempiternum hujus Patriæ decus, & Civium noſtrorum commodum, & gloriæ incitamentum non fuerit elucubratum? Quid de ulla Civitate tam eximium, tam ſplendidum, tam magnificum poteſt cogitari, quod ſibi hæc noſtrum Patria ſuo prope jure non poſſit attribuere, poſtquam (7) *De Studiis litterariis Mediolanenſium antiquis, & novis* hoc prodiit auctore aureum illud volumen, tanta congeſtum eruditionis ubertate, accuratione tanta caſtigatum, tanta erga omnes honoris teſtificatione illuſtratum? Nihil ſane amplius ad hujus laudem civitatis optari poſſe videbatur: verum huic ipſi celebritati quanta per eundem virum acceſſio facta eſt in Hiſtoria, quam (8) *Litterario-Typographicam* incripſit! Proh boni ſuperi! Tantamne Scriptorum copiam, tam diſperſa, atque obruta antiquitatis veſtigia, tantam vel in latebris retruſam, vel longe peregrinantem noſtræ civitatis gloriam unius viri incredibilis ſolertia, ſummum ingenium, amor Patriæ ſingularis, flagrantiſſima litterarum cupiditas perveſtigare, invenire, enucleare, digerere, perpolire, in lucem proferre potuit? Hiſtoriam autem dum memo-

(7) Edit. Mediol. a. MDCCXXIX. apud Joſeph. Richin. &c.
(8) Hiſtoria Litterario-Typographica Mediolanenſis ab anno MCCCCLXX. ad annum MD. Mediolani MDCCXLV.

moro, quam se huic Civi non modo hæc Patria, sed tota Italia, & orbis universus obstrictum fatebitur? Ut enim illa prætaream quæ quidem cum hac antiquitatis memoria, & omnium ætatum, ac rerum luce maximam habent cognationem, sed plures præterea, & multo graviores magnarum artium disciplinas requirunt, quæ nimirum vel de Ticinensi Sancti Doctoris (9) Augustini tumulo, iis rationum momentis, eaque perspicuitate disseruit, ut ad caussam Regiæ Civitati adjudicandam plus valuerit una Saxii Apologetica Epistola, quam prope infinita jam antea congesta rationum volumina; quæque pari pietate, eruditione, & gloria de Corpore S. Bartolomei (10) Apostoli Beneventi vere extante, & perantiqua ibidem religione culto non minus graviter quam dilucide ad Sanctissimum Pontificem Benedictum XIII. scripsit; ut hæc inquam prætaream: quantum operæ, & studii in adornanda rerum Italicarum Scriptorum magna, & admirabili collectione [11] impendit? Mirabuntur posteri hujus viri diligentiam

(9) Epistola Apologetica pro identitate Corporis S. Augustini Ecclesiæ Doctoris &c. Mediolani MDCCXXVIII.

(10) *Inscribitur*: Ragioni per provare l'esistenza del Corpo di S. Bartolommeo Apostolo in Benevento esposte in una lettera alla Santità di Benedetto XIII. Sommo Pontfice: nel Tomo XV. della Raccolta Calogeriana.

(11) In Tom. I. Rerum Italic. &c. Jordanis seu Jornandis Historia &c. nunc ad fidem antiquissimi Cod. MS. Biblioth. Ambros. accuratissime collata, atque emendata &c.

tiam, eruditionem, tamque acrem omnis antiquitatis pervestigationem, dum eos, non sane paucos, ibi revolvent Auctores, vel primum a Saxio evulgatos, vel summa fide, & diligentia restitutos; omnes vero ejus notis exquisitissimis, doctissimisque prolusionibus illustratos: at nisi doceantur, quantum præterea curæ, ingeniique in universam illam eruditionis molem contulerit, plurimum sane aberunt ab justa de Saxii laboribus opinione. Quid? Carolo Sigonio, nitidissimo in primis, atque accuratissimo Scriptori nihil prope videbatur deesse aliud, nisi ut rara jamdiu, atque dispertita, & segregata opera in corpus unum colligerentur: tamen quum id ipsum in hac urbe, ædibusque Palatinis curatum perfectumque est; neque ulla ejus pars non multo splendidior novam in lucem venit; & li-

Tom. II. Acta Concilii Ticinensis anni DCCCLXXVI. habiti pro electione Caroli Calvi in Regem Italiæ &c. cum notis C. V. A. Saxii. In Tom. V. Landulphi Junioris, sive de Sancto Paulo Historia Mediolanensis ab anno MXCV. usque ad annum MCXXXVII. cum notis &c. In Tom. VI. Historia rerum Laudensium Ottonis Morenæ, & Acerbi Morenæ ex duobus MSS. Biblioth. Ambros. &c. nunc primum edita, & notis perpetuis illustrata a V. C. Jos. Ant. Saxio &c In Tom. VII. Chronicon Romualdi II. Archiep. Salernitani &c. In Tom. VIII. Antonii Godi Nobilis Vicentini Chronica &c. In Tom. IX. Historia Dulcini Hæresiarchæ Novariensis &c. In Tom. XII. Galvanei de Flamma &c. opusculum de rebus gestis ab Azone, Luchino, & Joanne Vicecomitibus &c. Hi omnes Scriptores editi sunt vel primum in hac collectione, vel recogniti &c. auctique notis, animadversionibus &c. ejusdem J. A. Saxii.

libros profecto de Italiæ Regno Viginti a Saxio recognitos [12], ita suis uberrimis commentariis locupletatos recepimus, ut id satis non constet, utri laus major habenda sit, num ei, qui libros primum concinnavit, num huic viro, qui laborem eis splendoremque addidit incredibilem. Quare quis amplius mirabitur, neminem floruisse hac ætate ullo genere doctrinæ, cui non esset cum Saxio aliqua necessitudo; iis vero conjunctissimam extitisse, qui ceteros eruditione præstabant? Quorum tot inventæ sunt ad ipsum litteræ; tot per epistolas cum ipso communicatæ quæstiones, tot postulata, ut prope incredibile videatur, virum unum omnibus satisfacere potuisse. Summos Religionis Antistites, Cardinales Amplissimos, Dominicum Passioneum, Angelum Mariam Quirinum, Joachimum Bessutium quid dicam ad eum ita scribere consuevisse, ut eidem simul omnem doctrinæ, & eruditionis honorem deferrent? Ipse Benedictus XIV. ea præcipua sapientia, quam orbis universus colit, ac veneratur, quam honesta, quam præclara de Saxii eruditione protulit oracula? (13)

Illud

(12) Mediolani 1732.

(13) Vide Prosperum Lambertinum &c. nunc Benedictum XIV. in ejus Annotat. ad anni festos dies duobus volum. editis Bononiæ a. 1740. In 1. volum Parte 2. pag. 486. & 574. meminit Dissertationis Apologet. de SS. Gervasio & Protasio &c. In 2. Tom. pag. 342. num. 264. & pag. 385. num. 215. & 216. Epist. cum laude commemorat editam circa Confractorium Ambrosianum &c.

Illud vero quis facile dixerit, cum hac tanta ingenii fama, & celebritate doctrinæ quantam ipse vitæ integritatem, fidem, religionem conjunxerit? In hac tanta orationis copia, ac simul temporis, & ingenii mei exiguitate, me id unum consolatur, vos esse nactum Auditores, qui vestrum judicio, & opinione longissime antecellitis, quæ per me vix possent adumbrari. Quæ enim par oratio inveniri posset hujus viri constantissimi, ac Sacerdotis religiosissimi summæ in Deum pietati? Qui ita se totum abdidit in litteras, ita in libris consenuit, ut nihil præter Dei cultum, & vitæ sanctimoniam, & æternam sui, ac aliorum salutem sibi propositam habere, nihil ore, vultu, verbis, incessu, præter religionem, ac Deum ipsum spirare, ac præ se ferre videretur; ut quum in omni genere litterarum, & eruditionis esset versatissimus, nullam tamen caussam libentius susciperet, ac tueretur, quam pietatis, ac Religionis; ut quum omnia in ipso essent præstantissima, omnia plane superaret ejus modestia, comitas, temperantia. Quæ sane cupiditas invadere, ac pervertere ipsum potuit, qui ita vixit, ut nihil umquam ex rebus humanis expetiverit; ita mortuus est, ut ipsum jam prope moriturum sæpe repetentem audiverimus, contentum se ad Deum migrare, quod de Ecclesiæ proventibus, & Christi patri-

trimonio nulla extet sibi ratio Judici supremo reddenda? Quas autem immortali Deo gratias in ipsa ægritudine, in mortis prope conspectu illum agere audiebamus? Quo spiritu, quo ardore, qua suavitate sibi Auctorem suum propitium deposcere? Quam hilari constantique animo se se Divinæ subjicere voluntati? Quam sæpe illud recensero in magni officii loco, quod tum decumberet, quum jam manum supremam *Historiæ Mediolanensium Antistitum a Sancto Barnaba ad Josephum Puteobonellum productæ, ad exactiores Chronologiæ, & Critices rationes redactæ, Diplomatis illustratæ*, imposuisset!

O Patria, o Cives [lubet enim ad vos pauca, quæ supersunt, verba deflectere: nam ejus viri ita mihi sunt in animis defixæ, atque insculptæ voces illæ supremæ, ut vix possim sine lacrimis diutius in iis immorari] o Patria, o Cives; Plura quidem laudis, & gloriæ ornamenta jactare potestis, sed innumera propemodum huic uni referre debetis accepta. Vivet, & celebrabitur semper magis decus vestrum, gloria litterarum, memoria studiorum, quamdiu hujus viri legentur libri; legentur autem, quamdiu librorum supererit vestigium. Ipsa vero Religionis majestas, dignitas Mediolanensis Ecclesiæ, Ritusque Sanctissimi, ac vestrum proprii splendor, & auctoritas, quam late vagabitur, quam efferetur, quam publi-

cam

eam videbit lucem Saxii cura novissima; ejus animi, & amoris erga Patriam, erga omnes, erga religionem pignus luculentissimum, series inquam elaboratissima nostrorum Pontificum? Jam antea Sanctissimorum Martyrum, & urbis nostræ Patronorum (14) sacras exuvias ab irritis nonnullorum conatibus, injectisque contra jus nostrum suspicionibus strenue defenderat, & antiquam earum possessionem ita huic Patriæ restituerat; ut ipsos adversarios coegerit, & manus dare, & ea sapienter recantare, quæ levius (15) objecerant; jam quod antea ab imperitis Hæresis vocitabatur (16) Ambrosiani ritus, ita exemit omni censura, ut sanctissimum, atque sapientissimum regnantem Pontificem Maximum adprobatorem, laudatoremque habere sit (17) promeritus. Quin

vix

[14] Edita primum est Differtatio apologetica ad vindicandam Mediolano SS. Corporum Protasii, & Gervasii antiquissimam possessionem &c. Mediol. 1708. Tum a. 1719. rursum prodiit Possessio SS. Corporum Protasii &c. Mediol. vindicata cum Appendice ad differt. apologeticam &c.

[15] Ita Auctor in Epist. Nuncup. ad Vindicias de Adventu S. Barnabæ Mediolanum: *Contra hunc celeberrimum Scriptorem (Papebrochium) jussus fui in arenam descendere, in qua tam felici exitu depugnare mihi contigit, ut palinodiam publicis typis recantare (raro hisce temporibus honestæ moderationis exemplo) non erubuerit adversarius ille doctissimus.*

[16] Epistola ad Amicum, pro vindicanda formula in Ambrosiano Canone ad Missæ sacrum præscripta: *Corpus tuum frangitur Christe*. Mediolani 1732.

[17] Loco jam supra relato &c.

vix tertio ab hinc anno de Adventu sancti Barnabæ Apostoli (18) in hanc urbem, eas edidit Vindicias, ut qui satis hac ætate ad dubitandum proclives inter fabellas hanc opinionem rejiciebant, dignam modo confirment, quam eruditi tueantur. Verum hoc uno tam difficili, tam laborioso, tam absoluto, & excellenti opere quid dicam quæ, & quanta complexus est; quum vel proemium sit hujusmodi (19) ut ipsum dumtaxat legenti species quædam augusta, & incredibilis majestas, & divinus quidam honor se se offerat hujus Ecclesiæ? Quamquam id proprium, ac perpetuum fuit ejus viri, ita proludere rerum divinarum tractationibus, ut in ipso aditu jucundissima voluptate, & uberrima eruditione legentes perfundat, atque ad opus ipsum perlustrandum suavissime impellat. Testes sunt S. Caroli [20] Homiliæ, ejusdemque gloriosissimi Antistitis, ac nostrum Patroni Noctes [21] Vaticanæ; testes aliæ prope innume-

[18] Vinditiæ de adventu &c. Mediolani MDCCXLVIII.

[19] MS. perfectum, & absolutissimum, apud Heredem Clarissimum non minus Bibliothecæ, quam candidi animi tam sapientis viri, filium scilicet Fratris Canonicum S. Georgii in Palatio; tam vero ab eruditis expetitum opus, quam quod Historiæ hujus Ecclesiæ maxime deesse fatentur omnes &c.

[20] Editæ e MSS. codicibus Bibliot. Ambrosianæ cum Præfat. & notis J. A. Saxii Mediolani. 1747.

[21] Editæ eadem diligentia, & eisdem accessionibus Mediolani 1748.

meræ aliis operibus adjectæ præfationes; testis omnium Eruditorum consensus, & ipsa experientia, qua constat aliorum etiam libros Saxii eruditione, & laboribus gaudere.

Hujusmodi vobis exemplum proponite, Adolescentes ingenui: quid fructus, quid gloriæ progignat Patriæ exacta in litteris vita optimi civis; quæ commoda adferat Reipublicæ unius viri sapientia; ad eum vero, qui illam adeptus est, quæ laus, qui honor, quæ dignitas confluat, hinc plane recognoscite. Neque illud animis vestris umquam deponite; tum pulcherrimas, tum maxime frugiferas esse scientias, quum ipsæ sunt cum vitæ innocentia, modestia, fide, pietate conjunctæ. Ac si nihil præclarius censetis, quam de Patria, de Civibus, de omni posteritate benemereri, ad bonas artes, quemadmodum facere instituistis, diligenter incumbite; omnem industriam adhibete; pietatem in primis colite, & religionem; ac sæpe præstantium virorum exempla in memoriam revocate, ejus vero præsertim, qui ita hac nostrum floruit ætate, ut nemo magis. Hunc tamen ne quæso a nobis ita commendatum existimetis, ut ipsum pro merito laudaremus, quod opus aliis, qui id valeant peragere, integrum relinquimus; sed ut vobis quidem, Adolescentes optimi, exemplum ad imitandum proponeremus amplissimum; nos vero grati

ani-

animi officium aliquod ei Viro persolveremus, cujus benevolentiæ, & humanitati, & singularibus promeritis numquam satisfacere nos posse intelligimus, ac profitemur.

FINIS

